DE INEFFABILI TRINITATIS MYSTERIO ORATIO HABITA IN SACELLO PONTIFICIO ... A COMITE JOSEPH...

Giuseppe Boschi, Ignazio Lucchesini, Valenti Gonzaga

Digitized by Google

Digitized by Google

Sanctiſſimo Domino Noſtro

BENEDICTO XIV.

PONTIFICI MAXIMO


JOSEPH BOSCHI

FELICITATEM.

J*AM tandiu invaluit*, BEATISSIME PATER, *fama humanitatis, ac clementiæ tuæ, quæ ad Te venientes complecti ſoles, totque ſunt tua erga amantiſſimum fratrem meum merita, ut, licet tanto honore me haud dignum exiſtimem, tamen brevem hanc de ineffabili* TRINITATIS MYSTERIO *Orationem in Sacello tuo habitam ut de more ſiſtam, ad pedes tuos fidens, & lætus accedam. Idque etiam a me libentius agendum puto, quod oblatæ mihi, ut vehementer cupiebam, tam opportune occaſio ſit de valetudine tua jam prope in integrum reſtituta Tecum gratulandi. Cujus quidem beneficii licet meritum omne tuis virtutibus deberi fatear, quæ & hanc urbem, ne miti, ac benefico Principe, & omnes Eccleſias, ne doctiſſi-*

mo , ac vigilantiſſimo Paſtore tam cito viduarentur , ad preces , lacrimaſque impulerunt ; tamen , ut optatam ſanitatem aſſequerere , Tibi perſuadeas velim Collegii *etiam* Clementini *frequentia vota non defuiſſe . Cur non illud ad Deum pro Te funderet preces ? Cur non ad priſtinam Tibi valetudinem recuperandam divinam opem præcipua ratione imploraret ? Tu in his Ædibus educatus , quæ a Te plurimum ſplendoris acceperunt : Tu ſingulari ſemper in nos ſtudio , ac voluntate fuiſti ; Tu Benefactor ſemper eximius extitiſti. Et ne antiqua recenſeam , quæ & præclara , & plurima ſunt: Nonne ſi in preſens & numero , & ſplendore Collegium creſcit , Tibi præſertim debetur ? Quis enim nobiles Gimnaſii alumnos decem ab hinc menſibus* Clementino *adjunxit ? Quis optimum inſuper adoleſcentulum ſummo loco natum , qui tibi maxime cordi eſt , huic Collegio paulo poſt educandum ſumma cum omnium noſtrum laude tradidit ? Quod ſi marmoreum* Beati Patris Æmiliani *ſignum tam affabre ſculptum eſt , ut admirationem omnium jure mereatur , non ne quoque id Tibi tribuendum , qui conſilio , ſapientiaque Tua , & Sculptorem induſtrium , ac preſtantiſſimum , & exemplar , quod ſequeretur delegiſti ? Plura dicerem ,* Beatissime Pater , *de tuis recentibus erga nos meritis : ſed ne fortaſſe videatur in precibus pro Te noſtris Collegii potius , quam Tui comodum nos quæſiiſſe , mihi ipſi ſilentium imponam , Te interim enixe deprecans , ut Orationem , quam obtuli , benignus excipias , dein ut diu & Tibi , & Urbi vivas , & toti orbi terrarum : Denique ut me , totumque* Clementinum Collegium *tua Apoſtolica Benedictione digneris .*

ORA-



ORATIO.

CUM noſtra omnis poſt hoc ſæculum futura felicitas, Beatissime Pater, in Deo unice ſita eſſe debeat, illum facie ad faciem videndo, ſicuti eſt: nec quiſquam poſſit ad tantum gloriæ lumen accedere, niſi in hoc orbe terrarum tota virium contentione in Deum unice per charitatem ferri enitatur; unica etiam omnium noſtrum cura eſſe debet, ut divini amoris igne corda noſtra quam maxime accendantur. Quæ autem potior via? quæ-

Digitized by Google

que præ cæteris expeditior ratio inveniri unquam poterit? Nulla alia certior æque, ac facilior, quam ineffabile TRINITATIS Myſterium, quod hodierna die ab Eccleſia ſolemniter colitur, ſæpiſſime contemplari. Nam, cum TRINITAS Myſteriorum omnium ſit fons, caput fidei, & fundamentum ſalutis, omnia prorſus divinæ amabilitatis argumenta continet, ut in illam mentis oculos coniicientes ad Deum præcipua quadam ratione diligendum neceſſario impellamur.

Et revera. Quid nobis unquam incredibilem amoris magnitudinem, quo Deus hominem prior eſt proſecutus, oſtendit magis, quam TRINITATEM intueri? Vix etenim Pater ad Filium, & Spiritum Sanctum converſus: faciamus, inquit, hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram: ſtatim tota TRINITAS operari viſa eſt, & certatim Deus ſignare ſuper illum lumen vultus ſui, & unaquæque perſona, in memoria Pater, in intellectu Filius, in voluntate Spiritus Sanctus imaginem, ac ſimilitudinem ſui certatim imprimere, ut

que-

Digitized by Google

quemadmodum Deus unus eſt in ſubſtantia, trinus in perſonis; ſic anima hominis una in ſubſtantia eſſet, trina in potentiis. Nec infinito amori ſatisfactum putans, ſi ad tam eminentem dignitatem naturam hominis tantummodo evexiſſet, ipſi etiam per gratiam tota TRINITAS conſociata eſt, ut merito poſſimus cum Joanne dicere: Societas noſtra cum Patre, & Filio ejus: Nam vix regenerati per lavacrum aquæ in verbo vitæ ſumus, arctiſſimo vinculo cum TRINITATE conjungimur, ita ut Pater tanquam Filios, Filius tamquam fratres, Spiritus Sanctus tanquam amicos nos complectatur, & agnoſcat: hæredes ſimus Patris, cohæredes Filii, in omnium Dei bonorum participationem vocemur, & TRINITAS ipſa, cujus nos poſſeſſio, atque hæreditas ſumus, poſſeſſio noſtra, atque hæreditas efficiatur. Quid amplius dici poteſt? Quod nam majus divinæ erga nos charitatis argumentum afferri? Si amorem amore conciliari certum eſt, imo nihil ad amandum aut ſuavius, aut potentius, quam amari, quis TRINITATEM nos tantopere diligentem inſpi-

Digitized by Google

inſpiciens, ardentiſſima in Deum charitate viciſſim non feratur?

Præterea non ne TRINITAS ea eſt, quæ beneficia omnia nobis a Deo collata clarius, diſtinctiuſque promit in lucem, & cui præſertim ex tribus Perſonis accepta debeant referri planiſſime denotat? Oculos quæſo in ipſam convertite. Nonne ſtatim, ac Deum Patrem intuemur, occurrit? Ab illo nos, cum adhuc in infinitarum poſſibilium rerum numero neglecti jaceremus, accepimus vitam; ab illo fuimus ſuper creata omnia conſtituti, atque ad dignitatem Dei Filiorum evecti. Nonne ſubit animo; Si hac luce fruimur, ſi hunc aerem ſpiramus, ſi frondent arbores, ſi creſcunt ſegetes, ſi vivimus, movemur, & ſumus, uni ipſi conſervanti id eſſe tribuendum? Quod ſi Dei Filium reſpicimus, fieri ne unquam poteſt, ut in memoriam repente non veniat, cum indigno ſervitutis pondere premeremur, nos ab ipſo in libertatem ſuo ſanguine vindicatos? cum in tenebris, & umbra mortis verſaremur, in admirabile Evangelii lumen vocatos? & ne deficiamus

in

in via, Spiritualibus Sacramentis quotidie confirmari, & ſuo ipſo corpore enutriri? Quæ benefacta, num ab invitis etiam amorem valeant extorquere, non eſt cur longius diſputem. Quod ſi demum in Te, Sancte Spiritus, mentis aciem defigimus, quis eſt unquam, qui illum Charitatis ignem, quo totus orbis terrarum incenditur, tot mira portenta, quibus Eccleſia illuſtratur, tot genera linguarum, tot chariſmatum dona, omnem denique gratiæ plenitudinem tibi deberi non fateatur? Profecto ſi meritorum recordatione charitas augetur, oh quam in homine Deum Unum, & Trinum tam beneficum, & liberalem cogitante augeatur neceſſe eſt!

Denique quid eſt aliud in terris, quod divinæ naturæ dignitatem, amabilitatem, ac perfectiones omnes melius, magiſque detegat, quam indubitabile TRINITATIS Myſterium? Ex hoc Deum Unum eſſe, & æternum, & ſimpliciſſimum, & omnis pulchritudinis, & bonitatis, & ſapientiæ fontem intelligimus. Ex hoc Trinum eſſe, cum unus ſit, quod Ethnici nunquam

agno-

agnoverunt, nec ullis rationibus evinci poteſt, credimus, & confitemur. Ex hoc denique proprietates omnes, quæ unicuique Hypoſtaſi ſingillatim conveniunt, & tribuuntur, innoteſcunt. Itaque credimus, Deum Patrem eſſe principium Filii, eumdemque una cum Filio principium eſſe Spiritus Sancti, cum alter a Patre generetur, alter a Patre, Filioque procedat: Filium eſſe Dei Patris Verbum: &, cum mutuo amore Pater, & Verbum ſe ſe diligant, hanc eſſe Spiritus Sancti proprietatem, ut Amor ſit, & intimis Divinitatis operibus terminus conſtituatur. Confitemur inſuper Patrem eſſe omnipotentem, ipſam Sapientiam Filium, Charitatem ipſam Spiritum Sanctum; omnes denique Divinæ naturæ perfectiones, atque attributa, & quæ vere unicuique propria ſunt, & quæ, licet omnibus ex eſſentia Divinitatis communia, unicuique aſſignantur, quantum patitur conditio humana, cognoſcimus, ita ut, ſi tanto magis creſcit in Deum charitas, quanto major in homine eſt Divinæ dignitatis, & amabilitatis cognitio, nihil

præ-

Digitized by Google

præſtabilius, potentiuſque ſit ad eam augendam, quam ſi æternum hoc, atque inexhauribile arcanum probe fuerimus contemplati.

Quæ cum ita ſint, TRINITATEM ſæpiſſime in memoriam revocemus; ſæpiſſime animo revolvamus; & nunc illam certatim in nobis imaginem ſui imprimentem, & ſe ſe per gratiam arctiſſime hominibus conſociantem; nunc innumera propemodum, ac præclariſſima in nos beneficia congerentem; nunc demum illius dignitatem, præſtantiam, atque amabilitatem intuentes, erga ipſam præcipuo amore incendamur, totiſque viribus contendamus, ut pervenire tandem ad illius conſecutionem poſſimus, quæ noſtra omnis poſt hoc ſæculum eſt futura felicitas.

Digitized by Google

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo P. Magiſtr. Sac. Palatii Apoſtolici.

F. M. de Rubeis Patriarch. Conſtant. Viceſgerens.

IMPRIMATUR,

Fr. Vincentius Elena Reverendiſſimi P. Magiſt. Sac. Palatii Apoſtolici Soc. Ord. Prædicat.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google